Opuscula

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QUÆSTIO JURIDICA

De DUELLIS,

ex. c. 1. & 2. de Clericis pugnan. in duello. & c. 2. & 3 de Purgat. vulgar. junct. l. Cruenta spectacula. C. de Gladiatoribus.

Pro Loco

In Collegio CC. DD. Jure Consultorum,

Studii Generalis Almæ Universitatis Cracoviensis

obtinendo,

SUB PROSPERRIMO REGIMINE,

Magnifici, Perillustris & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. CASIMIRI PAŁASZOWSKI,

S. Th. PROFESSORIS, Collegæ Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum; S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracov. CANONICI, Cureloviensis DECANI, Parochialium; S. STEPHANI Cracov. PRÆPOSITI, in Czerniechow CURATI, Studii Generalis Universitatis Cracoviensis Vigilantissimi

RECTORIS,

per me

M. ANTONIUM FRANCISCUM

De Wilkoszowice

WILKOSZOWSKI,

Philosophiæ Doctorem, U. J. Professorem, Collegam Juridicum Vocatum, Ecclesiarum; Collegiatæ SANCTORUM OMNIUM Canonicum, Parochialis in Circulo Crac. B. V. MARIÆ Pœnitentiarium Radyminscianum, Contubernii Regio-Jagelloniani Seniorem.

In Lectorio Ejusdem Collegii Juridici,

Disputationi publicæ

PROPOSITA;

Annô,

DVeLLantIs eX præfIXIone pro saLVte hVMana saLVatorIs.

Die 23. Mensis Novembris.

CRACOVIÆ Typis Collegii Majoris Universitatis.

QUÆSTIO JVRIDICA, DE DUELLIS.

U. Duellum, aliàs duorum bellum, ſeu ſingulare certamen, ex condicto partium cum præfixione loci & temporis ſuſceptum, quandoq́; à Principe conceſsum, ſit illicitum, pœnisq́; ſubjaceat? necne?

CONCLUSIO I.

DUellum, aliàs duorũ bellũ, ſeu ſingulare certamẽ ex condicto partiũ cum præfixione loci & temporis ſuſcipitur. 1.

1. *Filliuc. Tract. 29. Cap. 8. q. 1. n. 135. Pichler ad Lib. 5tum Decretal. Gregor. IX. n. 1. de Clericis pugnan. in duello. Bonac. Tom. 1. de Cenſur. Diſp. 2. q. 6. punct. 1. & Tom. 3. Diſp. 2. q. 3. punct. 48.*

COROLLARIA.

I. Duellum ex Græco Monomachia appellatum, 2. à Gentilibus in Orbe, à Longobardis in Italia initium ſumpſit, poſtea apud Germanos, Belgas, Hiſpanos, Moſchos & apud alias Gentes,

ſub

ſub certis formis inolevit, 3. aut ſolenniter ſeu publicè; hoc eſt ex publica authoritate, Principe permittente, ac campum ad duellandum cum armis, patrinis, loco, tempore; & ſpectatoribus aſſignante; aut minùs ſolenniter ſeu privatim abſq; omni ſolennitate, condicto tamen tempore & loco initur. 4.

2. *can. Monomachiam. 2. q. 3. & ibi Turecremat. ac alii.*

3. *Valens. in Paratitl. Decretal Gregorii IX. Lib. 5. n. 2. de Clericis pugnan. in duello. Toloſſan. in Syntagmat. iur. univers. Lib. 48. tit. 16. & Azor. Inſtit. Moral. p. 3. Lib. 2. Cap. 5.*

4. *Theſau: de pœn: Eccleſ. p. 2. v. Duellum. Cap. 1. ibi: Dicitur autem. Salzed. ad Diaz. in Prax. Cap. 103. § Circa. Sanchez in Decalog. Lib. 2. Cap. 39. n. 22. & Schmier Lib. 5. Tract. 2. Cap. 3. ſect. 3. § 2. n. 103.*

II. Sumitur Duellum, aut ſtrictè pro pugna duorum ſpontè & ex condicto, ſtatuto loco, tempore, ac armis cum periculo occiſionis, mutilationis, aut vulneris ſuſcepta; aut latè pro illa pugna, quæ à pluribus hinc inde gratiâ obtinendæ victoriæ, iniri ſolet. 5.

5. *Salon. 2. 2. q. 9. art. 3 Controverſia 3. fol. 179. Filliuc. loc. cit. Varrò Lib. 6. de Lingv. latin. & Cromer. Lib. 17. fol. mihi 275. col. 2. de Rebus Polonorum.*

III. Certamen illud, quod ſubitò & ex calore iracundiæ, aut ex altercatione naſcitur, ac in continenti expeditur, eò, quòd non fiat ex condicto, non eſt duellum, 6. nec trahit poſt ſe pœnas contra duellantes ſancitas. 6.

6. *Floron. de Duell. Cap. 1. Alex. Peregrin. Tract. eodem. q. 18. & Bonac. de Cenſur. Diſp. 2. q. 6. punct. 2 n. 9.*

7. *Ricc. in Prax. For. Eccleſiaſt. p. 1. reſolut. 170. ubi citat Sanchez in ſumma Lib. 2. Cap. 39. n. 28. Ludov. decis. Rot. Marcell. Vulp. in Prax. Iudic. Cap. 1. n. 49.*

IV. Conflictus tempore belli inter hostes, dum unus Dux mittit decem, vel plures milites in arenam contra alios decem, vel plures fieri soliti, pariter non sunt duella; 8. nisi fiant gratiâ ostentationis virium ob vanam gloriam, ac sine justa & rationabili causa. 9.

8. *Bonac. de Excomm. partic. extr. Bullam Cœnæ Domini. Disp. 2. q. 3. punct. 48. prop. 1. n. 4. & Trullen. Tom. 2. in Decalog. Lib. 5. Cap. 2. Dubio. 13. n. 8.*

9. *can. Monomachiam. 2. q. 3. Anton. Schiara Tom. 1. Theolog. bellic. difficult. 12. n. 13. Molfes. in Summ. p. 1. Tract. 11. Cap. 19. n. 88. & Sanchez Cap. 39. n. 11.*

V. Non est Monomachia seu duellum, quod committitur à viris, pugnîs, brachiîs, vel instrumentîs aliîs non periculosîs se ab invicem petentibus, multò minùs à mulieribus, quæ non solùm verbîs, sed etiam evulsione capillorum inter se altercantur, etiamsi aliquando ex hujusmodi altercatione pugnîs facta mors subsequatur. 10.

10. *Ugolin. de Potest. Episcoporum p. 1. Cap. 7. n. 2. Filliuc. Tract. 15. Cap. 5. q. 5. n. 106. Bonac. d. punct. 48. n. 11. & Anton. Schiara d. difficult. 12. n. 22.*

CONCLUSIO II.

DUellum quandoq; à Principe duellantibus conceditur. 11.

11. *Innocentius Ciron, in Paratitl. Decretal. Gregorii IX. Lib. 5. tit. 14. de Clericis pugnantibus in duello.*

COROLLARIA.

I. Quamvis Princeps duellandi facultatem dare possit duellantibus, non tamen quilibet, sed solùm ille, qui superiorem se non agnoscit, habetq; vitæ & necis potestatem. 12.

à duello cesset, initum; adhuc tamen est illicitum. 36.

35. *Bonac. de Censur. in partic. Disp: 2. q. 3. punct. 33. n. 14. Lezzan. v. Duellum. n. 17. & Baß v. eod. n. 9*

36. *Ioseph. Ludov. decis. Lucen. 11. Clemens VIII. d. Constit.* Illius vices, *Pichler. ad d. Lib. 5. Decretal. Gregor.* IX. *t. 14. n. 4. & ibidem in compend. n. 2. ac Diodor. Tulden. in Lib. IX. C. ad l. Cornel. de Sicar. n. 15.*

CONCLUSIO IV.

Duellum pœnis Legum subjacet. 37.

37. *c. Porro c. Henricus. de Clericis pugnan in duello. d. c. Cura suscepti regiminis, & seqq de Purgar. vulgar. ac Concil. Trid. Seß. 25. Cap. 19. de Reform. tum Constit. Summ. Pontific. superiùs allegatt.*

COROLLARIA.

I. Pugnantes in duello publico, seu solenni, aliàs ex publica authoritate, & Principe permittente, ac campum cum armis, patrinis, loco & tempore dante, instigantes, occasionem ad inimicitias præbentes, equos, arma, pecuniam, commeatum & alia subsidia scienter subministrantes, aut alio quovis facto cooperantes; etiamsi postea duellum secutum non fuerit; nisi per ipsosmet cooperantes steterit ne sequeretur. 38 ex condicto, vel ex industria spectãtes, non verò illac trãseuntes & obiter duellum aut ex occulto 39. aspicientes, 40. præter infamiam, proscriptionem bonorum & alias pœnas in homicidas statutas, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ Summo Pontifici reservatam, ac mo-

rientes in ipso duello Ecclesiasticâ sepulturâ privati sunt, 41. & si sint Clerici Sæculares, vel Regulares, ac pugnaturis in duello benedictionem impertiant, mortaliter peccant. 42. aut ipsi per se, vel per alios pugnét, consulant, inducát, aut coadjuvent duellum, sive victores, sive victi existât, ultra pœnas prædictas Excommunicationis, 43 deponuntur, 44. remanent infames, irregulares & Beneficiîs, Officiîs Dignitatibûs & pensionibûs privati 45. ad alia Beneficia obtinenda inhabiles redduntur : 46. cum quibus licèt antea, si ex duello mors vel mutilatio non fuerat secuta, poterat dispensare Episcopus; 47. hodie tamen solus Papa dispensat, restituit, absolvit & ex inhabili, habilem facit. 48.

38. *Bonac. de Censur. partic. disp. 2. q. 3. punct 48. n. 24. & seqq. & Ricc. in praxi fori Ecclesiastici p. 3. resolut. 49.*

39. *Valer Reginald in Praxi fori Pœnitent. Lib. 21. n. 77. Ugolin. de Officio Episcopi Cap 6. § 2. n. 2. & Ricc. d. p. 5. Resolut. 54.*

40. *Henricus Zoes in Coment. in Lib. 5. Decretal. Gregorii* IX. *t. 14 n. 5. de Clericis pugnant. in duello.*

41. *Concil. Trid. Sess. 25 Cap. 19. de Reform. Ioan. Carol. Antonel. de Iudic. criminal. Lib. 6. Cap. 16. n. 2. Novar. in summ. Bullar. p. 1. Comment. 51. & p. 2. Comment. 52. & Mastr. in Theol. Moral. Disp. 10. n. 114.*

42. *Turecremat. in d. can. Monomachiam. 2. q. 3. & Lezzan. in Summ. Quæst. Regul. Tom. 3. v. Duellum. n. 18.*

43. *Concil. Trid. loc. cit. & Ioan. Carol. Antonell. ubi supra.*

44 *c. Porro c. Henricus. de Clericis pugnan. in duello Vivian. in Rational. Iur. Pontific. Lib. 5. pag. mihi 131. Alagon. in compend. Iur. Canonici pag. 677. & Valens. d. t. 14 n. 3.*

45. Idem

45. *Idem Novar. ubi supra & Ioan. Carol. Antonell. d. n. 2. ibi: Clericus verò.*

46. *can. Studeat. & ibi gl. penult. dist. 50. Budæus Lib. 3. decis. 70. & d. Constit. Pii IV.* Ea quæ.

47. *d. c. Porro. de Clericis pugnan. in duello & ibi Abbas. Hostien. & Ancharan.*

48. *d. Constit. Gregor. XIII.* Ad tollendum. *Clemen. VIII.* Illius vices. *& Azor. Instit. Moral. p. 2. Lib. 3. Cap. 50. q. 12.*

II. Non solùm Clerici & aliæ principales personæ nobiles, vel ignobiles, in castris vel extra castra degentes, tam ob privatas simultates & inimicitias, quàm publicis de causis, cum vel sine permissione Ducum Exercituum, sive in terris Christianorum, sive Hæreticorum duellantes; *49.* sed etiam omnes alii, qui ex condicto, statuto tempore in loco convento privatim nullîs Patrinîs, sociîsvè ad id vocatîs, nullaq; loci securitate habîta, ac nullis provocatoriîs literîs, denuntiatoriîsq; chartulîs præmissis, pœnis Concilii Trid. prædictis subjacent, & tenentur, acsi consueto ac publico abusu singulare certamen inivissent; *50.* eosdem tamen ab excommunicatione, sicut & alios, qui eam ob privatum duellum, & ad forum contentiosum non deductum, incurrunt, Episcopus absolvere potest, *51.* quemadmodum & illos, qui licèt publicè Monomachiam exercuerint, nihilominus Summum Pontificem ob impedimentum temporale vel perpetuum adire non possunt. *52.*

49. *Molfes. in Summ. p. 1. Tract. 7. Cap. 18. n. 22. de Pœnit.*

50. *dd. Constit. Gregor. XIII.* Ad tollendum. *& Clementis VIII.*

Illius vices. *Trullen. in Decalog. Lib. 5. Cap. 2. dub. 13. n. 12 quas & quem citat. Barbos. super Concil. Trid. Sess. 25. Cap. 19. de Reform. n. 3. & 4.*

51\. *Ioan. Carol. Antonell. Lib. 8. Cap. 6. n. 10. & seqq. de iis, quæ ad for. intern. spectant. Navarr. in Summ. Bullar. p. 2. Comment. 62. n. 11. Sanche. Lib. 2. Cap. 30. n. 27. Bonac. de Censur. Disp. 2. q. 6. p. 2. n. 15 & Barb. de Officio & potest. Episcopi p. 3. allegat. 50. n. 120.*

52\. *c. De cætero. de Sententia excommunicationis & ibidem Barbosa n. 1. & 4.*

III. Præter duellantes Clericos vel Laicos ac eorundem Patrinos, etiam Principes, Magistratus, & alii quocunq; nomine vocitati Domini in terris sibi subjectis locum duello concedentes, aut duellum, cùm possent, non impedientes, nisi in aliquo extraordinario casu ad vitanda majora mala & scandala id faciant. 53 ipso facto excommunicantur, jurisdictionem & dominium, quod habuerunt temporale in loco, in quo duellum permiserunt amittunt, ac locus ille si ab Ecclesia fuit obtentus, ad illam, si per feudum, ad Dominum feudi revertitur, 54. & Ecclesiastico subiicitur Interdicto. 55.

53\. *Nicol. de Lyra in Cap. 17. imi Regum. Cajetanus apud Valent. Tom. 3. Disp. 3. q. 17. punct. 1. Molfes. in Summa p. 1. Tract. 7. Cap. 18. n. 22. Valens. d. t. 14. n. 6. & Diodor. Tulden. Comment. in Lib. 9. C. ad l. Cornel. de Sicar. n. 15.*

54\. *Concil. Trid. ubi supr. Pichler. d. t. 14. n. 9. & ibidem in compend. n. 6. ac Valens. loc. cit. n. 4.*

55\. Idem

55. *Idem Molfes. d. p. 1. Tract. 11. cap. 19. n. 88. & Anton. Schiara in Theolog. bellic. Tom. 1. Lib. 2. difficult. 12. n. 17.*

IV. Quamvis sepultura Ecclesiastica denegetur decedentibus in duello; nihilominus illis, quos non constat verè in duello decessisse, aut ad singulare certamen ex actu deliberato ab utraq; parte sponte & ex condicto, aut ex composito, loco & tempore statutis devenisse cùm hæc omnia, ut quis in duello decessisse dicatur, copulativè requirantur, negari non debet, 56. illis tamen, qui ex vulnere in duello accepto, sive statim, sive intercedente aliquo temporis unius diei aut plurium intervallô, etiamsi extra locum duelli moriantur, & dent signa pœnitentiæ, in detestationem tanti criminis & terrorem aliorum, denegari debet, 57.

56. *d. Constit. Gregor. XIII.* Ad tollendum. *Salonic. 2. 2. q. 6. art. 3. Contr. 3. fol. 376. & Cæsar. de Panimollis. decis. 144. n. 2.*

57. *Gratian. in Discept. forens. Cap. 410. Tom. 3. Hostien. Navar. Gregorius Sayr. Ignat. Lopez. Dian. Congreg. Concil. Trid. An. 1611. Ricc. Sanchez. Homobon. Lezzan. Gonzales & alii, quos citat. Zalaßovius noster Tom. 2. Juris Regni Polon. Lib. 4. p. 2. t. 12. fol. mihi 874. & seqq. de Duellis & diffidationibus.*

V. Quemadmodum quodlibet ferme Regnum & Provincia ultra superiùs expressas generales, ad totum Christianum Orbem se extendentes, 58. contra duellantes particulares habe-

at pœnas, ita & in Jure Regni nostri Poloniæ sancitæ sunt, ut Nobilis Nobilem absq; licentia Regis ad duellum provocans, sessione turris per medium annum, & sexaginta marcis puniatur, cui pœnæ etiam ille obnoxius est, qui ad duellum provocatus comparet, *59.*

58. d. Constit. Clem. VIII. Illius vices. *ibi: Ubicunq; Gentium & terrarum.*

59 Constit. Regni Polon. An. 1588. fol. mih. 462. tit. de Duellis.

Hinc Illi,

QUI

quasi Vir pugnator, *Exod.* 15. *v.* 3. descendit ad singulare certamen, 1. *Reg.* 17. *v.* 8. & super Cœlos gloria Ejus, *Psal.* 112. *v.* 4.

Laus, Honor & Veneratio.

memoria ... vera Cordis

Kozubowski

Kozubowski

Kozuboski